

bita deliberatione matura accedente communi capituli nostri consensu ob honorem dei et omnium sanctorum, specialiter ob dilectionem Vlrici Bauari nostri confratris pro salute animarum Heinmanni Parisiensis et uxoris eius Gertrudis, quos etiam in nostram fraternitatem integraliter recepimus, unam missam cottidie in capella nostra omnium sanctorum tenebimus perpetuo celebrandam. Ipse vero Vlricus Bauarus praeter hoc quod nobis contulit in parato redemit nobis et ecclesiae nostrae duodecim solidos cum sex denariis annui census in fossato quod vocatur Mulgrabe, quos denarios absque omni alienatione nobis spectandos annis singulis plebanus sancti Thomae quicumque fuerit accipiet in anniversario Heinmanni cum sex solidis denariorum et in anniversario Gertrudis cum sex solidis, disponens de residuo prout ipsi videbitur conventui benefaciendo et sicut fidelius poterit serviendo, quatinus totus conventus praedictus in missis vigiliis orationibus et beneficiis aliis in anniversariis huiusmodi et etiam quolibet alio tempore pro animabus praedictorum dominum eo devotius studeat exorare. Idem Vlricus ad praedictam missam in capella omnium sanctorum unum fertonem argenti census annui pro luminaribus perpetuo comparavit. Huius testes sunt Johannes de Holzhusen, Heinricus Jaieboch, Heinricus capellanus, Conradus de Burnis, Heinricus Saxo, Symon de Vriberch, Heinricus de Briseniz, Johannes Haulo, Jo. cellerarius, Helwicus, Hermannus dictus Bauarus, Guntherus de Burnis, Jo. de Dreleben, Nycolaus de Wolfheshain, Heinricus dictus de Sconenwelt sacerdotes ecclesiae nostrae, Symon scultetus, Tizeo Karaz et Tizeo filius eius, Tizeo Sturm cives in Lipzk et quamplures alii fide digni. In cuius certitudinem et cautelam dedimus praesens scriptum nostro et capituli nostri sigillis publice communitum. Nos quoque Heinricus dei gratia Mersburgensis ecclesiae episcopus praefati Vlrici Bauari precibus acclinati propter bonum ecclesiae sancti Thomae saepedictae sigillum nostrum praesentibus dignum duximus apponendum. Actum anno domini M^o. ducentesimo nonagesimo octavo Nonas Augusti.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den Siegeln des Bischofs und des Probsts Albert an Pergamentstreifen; das Capitelsiegel ist abhanden gekommen.

No. 50. 1298. 11. Oct.

B. Heinrich und das Capitel zu Merseburg eignen 43 Acker Holz, welche die Chorherrn Rudeger von Basel und Johannes Ungar von den Gebrüdern Rudolf und Dietrich genannt Slic, Vasallen der Merseburger Kirche erkaufte und zu ihrem Seelenheil dem Kloster zugewendet haben.

Nos Heinricus dei gratia Mersburgensis ecclesiae episcopus, Heinricus praepositus, Herbertus decanus totumque eiusdem ecclesiae capitulum ad notitiam universorum tam praesentis temporis quam futuri volumus pervenire, quod cum familiares et confratres canonicorum regularium sancti Thomae apostoli in Lipzk Rudegerus de Basil et Johannes Vngarus ob salutem animarum suarum comparaverint eidem ecclesiae et conventui praedicto quadraginta tria iugera lignorum a Rudolfo et Theoderico fratribus dictis Slic iusto emptionis et venditionis titulo, quae idem fratres Slike a nobis et ecclesia nostra in feudo tenuerunt, ipsi quoque Slike praedicti ligna